Sed peregrè abest. Si novisti me, persuadebis, sicut debes, Dno Stubelio ut omnem dubitationem ipse mittat, et alteri eximat. De vectura cogitabo suo tempore, saltem custodiatur vinum, ne, quia carius fit indies, ut damnum sarciatur, subtracto vino aqua infundatur. Sed de his jam satis. Petro soror uno die ꝭfilioli νεογρὸς altero obiit. Sororem tibi decreveram, si voluisses, ut meus affinis fieres, sed aliter fuit in fatis. Novi aliam, de qua tibi dicam coram, si voles, possum te juvare, ut dormienti tibi nuptiæ conficiantur, quas alii vigilantes non facilè assequuntur. Qui erga te meus animus sit, perspectum habes, ut in maximis rebus, si quid possim, de me tibi plurimum polliceri debeas. Veniam ad te brevi, aut tibi scribam prolixè de rebus omnibus. Cogitaram ad te nuper, sed Rhenus me attraxit. Nisi Stubelius venisset, habuisses me intra biduum. Sed vale. Rex Poloniæ veniet post paucas septimanas: Elector eum recipiet 3. locis primum per Casimirum, secundò per Consiliarios, tertiò per se. Ita decretum est, nisi irritum fit. Omnes mirantur, cum Elector sciat, Gallum illum sitire sanguinem suum. Rex Galliæ deducit futuro vere ad Metim 10000 equitum et 4000 peditum, sed non ultra. Fr. per Germaniam ibit vix 1500 hominum comitatu. In diœcesi Fuldensi prope Dißbach spoliati sunt servi Episcopi Posnaviensis præcipui legati, quos præmiserant cum vasis argenteis et honorariis à Gallo acceptis, et quæ ipse secum in Galliam ad sui ostentationem intulerat, estimatis 30000 coronatorum. Hæc à Maxim: accepi, qui cognovit ex Electore. Pulverem misit Imperator ad Hispaniam; Casimirus et Christophorus incenderunt. Quid futurum sit, ambigimus; Statim Casimirus ad Augustam concessit. Vera et certa sunt, quæ scribo, sed non possum plura. Vale.

Datæ 4. Novembr. 1573.

T. Christ. Schillingius.

Ἐπιγραφή

Reverendo viro, pietate, virtute, eruditione ac fide præstanti Dno Davidi Pareo, Pastori Ecclesiæ Hambsbacensis fidelissimo, Amico suo unicè charo. Hambsbach.

Taddeo Hagecio ab Hageck S. Cæs. Maj. Medico, And. Dudith S. P. 2001

Nescio quam ego Exc. V. gratus fuerim, nec video causas, cur esse debuerim, sed sanctè affirmo, jucundissimos mihi fuisse tuos sermones, teque ipsum suavissimum mi Domine Taddee. Utinam insigni aliquo documento testari possem me tui

amantissimum esse et humanitatis tuae singularis, qua me isthic complecti solebas, maxime memorem. Quis n. praeter te sollicitum animum ~~tuum~~ meum variisq; curis distractum, cum vobiscum essem recreabat? tu certe frequens apud me eras, et ad omnem alacritatem amabiliss. moribus et doctis colloquiis tuis me excitabas. Cujus ego rei memoriam nunquam depono. Quod tu, si voles, re ipsa intelliges. Mitto isthuc Petrum Stuppam Cavennensem Chirurgum inprimis artis suae gnarum et in ejus magnis ex mirandis operibus feliciter exercitatum. Rogavi, ut te amaret atq; observaret. te itidem rogo, ut pro solita tua bonitate mea causa vicissim omnem illi humanitatem praestes. Caes. Majtis Chirurgus futurus est, ex mea et Clariss. viri, ac de me optime si quis alius unquam meriti, Dni Cratonis commendatione. Si opus fuerit, fac ut intelligat te mei amantem esse et Amicorum meorum studiosum. Reliqui apud hospitem meum Exc. Viri D. Fabricii librum illum magnum, cupio scire, an ei redditus sit. Obsecro saluta eum amantissime et quaere ex eo, num de juvene illo Mathematico Tubingensi aliquid percontatus sit. Salveat itidem diligenter D. Reisacker. Constitueram utrumq; et te domi vestrae invisere, sed tempore et occupationibus exclusus sum. Cum acceperis Grillum de sapor. et de peregrinatione ejus orationem, rogo ne graveris mihi mittere, adscripto precio. Illud abs tua humanitate inprimis impetrare cupio, ut mihi de nova luce cogitationes ac demonstrationes tuas omnes mittas, simulq; indices, ecquid opinionem de ea tuam mutaveris, sunt qui pertinaciter asseverent, nihil novi luminis, sed ex fixis unam esse, quae ab orbe condito fuerit. Vale meq; ama et si otium est, asperge in responso de rebus novis, tum qui de me absente isthic sermones spargantur post novum hoc munus meum. Cracov. 23. Aug. 1573.

201 Eidem Taddeo Hayecio etc. And. Dudith.

S. P. In magno luctu et squalore sum ob immaturam uxoris meae charissimae mortem. Periit abhinc tribus hebdomadibus et magnum atq; acerbum mihi sui desiderium, ac pignus mutui amoris nostri plane incomparabilis reliquit. foemina nobilissima et lectissima erat, in sinu Reginae Catharinae castissimae

et sanctissimae